



*Pd. 42.*



THESES  
CANONICO-THEOLOGICÆ,  
De  
SPONSALIBUS  
&  
MATRIMONIO  
SACRAMENTO  
MAGNO,

Quas  
AVSPICE DEO  
&  
PATROCINIO  
VIRGINIS MATRIS

T V E B I T V R  
In Collegio S. NORBERTI Coloniae  
EVERHARDUS MICHAEL PELSER

Coloniensis, 1730 *19* *Augustus* *Sancti gradus*  
*et locum habitum d. San. Coling*  
Die *15* Martii mane *es* a prandio. *vernario.*

Typis Francisci Caspari Aldenkirchen in platea Saxonica 1728.

THESE  
CANONICO-PAROLOGICAL  
SPONSALIBUS  
MATRIMONIO  
SACRAMENTO  
MAGNO  
AVSPICE DEO  
PATROCINIO  
VIRGINIS MARIÆ  
VERGARDUS MICHAEL REBER  
Cologne  
1848



# PRÆFATIO

AD

LECTOREM.



Ingrato terra nihil pejus tulit, inquit *Anneus Seneca*; hoc *Sapientis* dictum ne me redarguat, qui in *Collegio Sancti Norberti Virorum doctorum Seminario* celebri, ac à studiis in hac *almâ Universitate Colonienfi* notissimo *Scientiæ Theologicæ, & Canonice fundamentum* jeci, nihil æquius esse duxi, quàm pro *Benefactis* in grati animi *mnemosynon* *Theses* has tanquam *observantia* meæ testes, animique *devinctissimi* *exiguum specimen* dare in dicto *Collegio* (quod opto semper florere) iisque *perpetuam acceptam* in eodem *instructionis gratam* *memoriam*, & *continuam agnitionem* contestari. Quod verò *aliam non selegerim materiam*, quàm *matrimoniam*, movit me, quod *frequens* in *judicio* tam *in-* quàm *externo* *materia* *hec* *occurrat*, *persuasitque* *multiplicitas* *gravissimarum* *difficultatum* in *utroque* *foro* *scitu* *necessariarum*, quarum *veritas* *Disputatione* *sæpe* *eruitur*. *Hæc* *sunt*, quæ *paucis* *præfari* *volui* *benevole* *lector*, ut *tibi* *constet* *animi* *mei* *sententia*, & *intentio*, quam *utpote* *ex* *debitâ* *gratitudine* *profluentem* *improbari* *non* *posse* *opinor*; *si* *vero* *conatus* *meus*, *dissertationis* *materia* & *ordo* *forte* *non* *arrideant*, *me* *humane* *conditionis* *erroribus* *obnoxia*, & *infirmis* *meæ* *conscium* *benevolè* *supportes*, *rogo*; *nec* *enim* *omnia* *probantur* *omnibus*.


Vale.

A 2

THE-

# T H E S I S I.

## Quid Sponsalia, & qui contrahere possint.

I.  Mnis scientia à verborum significatione incipit teste Bald, in *L. Liberum C. de Operib. libert. n. 5.* sic Sponsalia significationem suam derivant à verbo *spondere*; Veteres enim spondebant sibi futuras uxores, unde *sponsi sponsæque* appellatio nata est. *L. 2. & 3. ff. de spons.* definiuntur *L. 1. ff. eod. Mentio, & repromissio futurarum nuptiarum*; ad perficiendum hunc contractum primò requiritur deliberatus, & serius promittendi animus. *C. tua nos 26. de spons. L. simulat. & 30. ff. de ritu nupt.* licet fictè promittens partem deceptam ducere obligetur, non ob promissionem fictam, sed veram, quâ postea ponendâ prioris fictionem supplere ex justitia tenetur. 2dò, promissionem oportet immunem esse ab errore circa personam, cum nullus sit errantis consensus. *L. non idcirco 9. de jur. & fact. ignor. 3tio*, is cui promittitur non tantum promissum acceptare, sed & repromittere debet; gratis promittens cogitur, si probatum fuerit, quod in dubio non præsumitur, ducere non vi Sponsalium, sed promissionis simplicis, nam studiosè agendum, ut ea, quæ promittuntur, opere impleantur. *C. 3. de pact. 4to*, ut personæ sint jure habiles, quales sunt omnes usu rationis præditi, qui suo tempore matrimonium licitè inire possunt, cum ad illicitum nulla sit obligatio. *C. fin. de pact. 5to* denique, ut consensus mutuò manifestetur, nam volitio mente retenta in humanis contractibus nil operatur, *Arg. L. cum in plures, 6. §. locator. ff. locati, & cap. cum apud 23. de spons.*

2. Quæ-

2. Quærenti, quæ signa sufficienter consensum manifestent, servit Regula; quod sint illa: per quæ juxta communem intelligentiam ex loci usu, vel consuetudine, aut ex concursu circumstantiarum promissio, & repromissio matrimonii expressa intelligi solet. *L. semper in stipulationibus 34. ff. de reg. jur. & cap. ex literis 7. de spons.* inter quæ præminent verba; si dubia sint, observandum est *Cap. ex literis cit.* Sufficit manifestatio per literas *L. Mulierem s. ff. de ritu nupt.* aut Procuratorem servatâ dispositione *cap. fin. de procurat. in 6. & L. diligenter 5. ff. mandati.* Si parentes contrahant pro liberis, sive adfuerint, & tacuerint, sive abfuerint, & dein certiorati à parentibus contractum expressè, vel tacitè ratificaverint, obligantur. *Cap. unic. de desponsat. impub. in 6.* Si contradixerint, Parentes diligenter curare debent, ut consentiant, si equidem nolint, licet sub pœna Parentes promississent, satisfecerunt.
3. Quæri hic solet, an subarrhatio per anulum, donatio munerum, manuum porrectio, carnalis copula & similia sufficienter indicent consensum sponsalitiu? Resp. cùm hæc omnia ad alia quoque referri possint, se solis non indicant Sponsalia, nisi concurrentibus circumstantiis, v.g. præmisso tractatu de Sponsalibus, aut promissione unius &c.

## T H E S I S II.

### Quotuplex contractus Sponsalitiu?

4. Sponsalia alia sunt absoluta, alia conditionata, quæ conditione adjunctâ contrahuntur; differunt conditio & modus, conditio sæpe contractum suspendit, modus nunquam, neque

( nisi sit contra substantiam matrimonii ; quod irritum esse cenſeo ) vitiat , ſed comparti obligationem imponit , *L. cum ab eo, 41. ff. de contrah. empt.* Si dubium ſit , an adjectum ſit modus vel conditio , ex verbis & circumſtantiis judicandum , utrum partes voluerint contractum ratum ante impletionem adjecti vel non ; differt quoque conditio à cauſa , & demonſtratione , quæ qualescunque ſint non ſuſpēdunt , neque vitiant contractum .

5. Sponſalia ſi conditio adjecta de præterito , præſenti , vel futuro ſit impoſſibilis , nulla ſunt . *L. non ſolum 31. ff. de obligat. & act.* Si poſſibilis , ſive honeſta , ſive turpis , ſive de præterito , præſenti vel futuro contingente , dummodo non repugnet ſubſtantiaæ Matrimonii , valent conditione vel exiſtente , vel purificatâ . *Arg. L. potior 11. ff. qui pot. in pign.* ſi conditio de futuro neceſſaria , Sponſalia ſtatim valent , *Arg. L. ſi pupillus 9. ff. de novat. & L. impoſſibilis ff. de verb. oblig.*
6. Diſputant Theologi , an valeant Sponſalia , vel Matrimonium in initum inter ligatos impedimento dirimente ſub conditione futuræ Diſpenſationis Apoſtolicæ ; cùm autem conſenſus inhabilium nullus ſit quo ad contractum , in quem conſentire intendunt , ſequitur : quòd nec Sponſalia nec Matrimonium valeant , niſi novus conſenſus poſt Diſpenſationem interve-  
nerit .

### T H E S I S III.

#### De comitantibus Sponſalia.

7. **E**orum quæ contractum Sponſalitiū quandoque comitantur , primum eſt arrha , quæ eſt id , quod uni Sponſorum  
traditur



traditur ab altero in futuri Matrimonii securitatem; hæc, si Matrimonium sequatur, de jure communi ad dantem revertitur; si non sequatur & ex culpa dantis arrham, perdit eam; si ex culpa recipientis, duplum reddere condemnabitur, nisi minor fuerit, *L. 5. C. de Spons.* si neutrius, ad tradentem tradita redeunt. *L. 3. C. de Spons.*

8. Ratione donationum, quæ inter Sponsos celebrantur non in securitatem futuri Matrimonii, sed in signum affectûs, habetur decisio in *L. cum veterum C. de donat. ante nupt.*
9. An Poena contractui sponsalicio adjici possit solvenda à resiliente, controvertitur, rectius distinguitur; vel enim est solvenda à resiliente quamvis ex justâ causâ, & non valet; vel solvenda ab injustè resiliente, & utiliter apponitur, *Nov. Leon. Imp. 18.* licita quoque est (quando una pars injustè resilire voluerit) de compensatione pecuniariâ invicem conventio habita.

## T H E S I S IV.

### De Subsequentibus.

10. **S**ubsequens est obligatio mutua inter partes contrahentes tam in foro in-quàm externo, eaque duplex; 1. ne quidquam faciant, quo promissi executio injustè impediatur, si quis ex malitia posuerit impedimentum, auferibile tamen, illud tollere tenetur, ne ex malitia commodum reportet contra *L. non fraudantur ff. de Reg. Jur.* quam obligationem quoque transgreditur habens copulam cum tertio quocunque. *C. quemadmodum 25. de jurej.* altera consistit in hoc: quòd Sponsalia etiam clandestinè contracta obligent sub mortali ad ineundum Matrimonium, *C. 1. & 3. de pact.*

11. Præ-

II. Præfixus dies Matrimonio contrahendo, nisi iusta causa intervenerit, servari debet, cum contractus ex conventionem Legem accipere possint. *Reg. jur. 82. in 6.* etiamsi pars altera non urgeat, *Arg. C. fin. de loc. & conduct.* si nullus sit præfixus terminus, est obligatio implendi statim, id est, quando moraliter & commodè impleri potest, licet compars non postulet. *L. in omnibus 14. ff. de reg. jur. l. eum qui §. quoties ff. de verb. oblig.* aliud est, si compars expressè vel tacitè in dilationem consentiat; porrò mora sua cuilibet est nociva. *C. mora 25. de reg. jur. in 6.*

12. Ultimam obligationem implere renuens constringi potest in foro quidem interno per denegationem absolutionis, in externo per Judicem Ecclesiasticum, sc. monitione, deinde pœnâ etiam corporis afflictivâ (si executio talis propriâ Judicis autoritate fieri possit, ut inquit *Trid. Ss. 25. de reform. Cap. 3.*) & demum censuris, *C. ex literis 10. de Spons.* si Judici expedire videatur *Card. de Luca disc. 8. de Matr. n. 2.* in contumacia perseverans relinquendus est, cum finaliter in hoc nemo cogatur. *C. requisivit. 17. de Sponsal.*

13. Si quæras: qualis ex copula sine promissione Matrimonii confurgat obligatio? *12.* Obtinens copulam à fœminâ honestâ, vi, dolo, injusto metu, importunis precibus aut blanditiis in foro externo ad ducendum vel dotandum condemnatur. *Cap. I. de adult. & stup.* his seclusis & fœminâ consentiente huic in conscientia ad nil tenetur, quod si probaverit, etiam in iudicio absolvendus est; in dubio fœmina præsumitur seducta à viro. *Leg. un. de rapt. §. ult.* in conscientia ante sententiam Judicis ad nihil tenetur, nisi injuriam aut damnum intulerit, quod refarcire

refarcire debet. *Cap. fin. de injur. & dam.* Qui cum fœminâ publicè inhonestâ (secus si occultè) copulam habet, hic ad nihil condemnatur. *cit. Cap. de adult.*

14. Electio vel dandæ dotis vel nuptiarum in foro interno cœteris paribus est penes damnificantem, qui si unum horum offerat, etsi fœmina illud recuset, satisfecit. *Dixi: cœteris paribus;* nam, si fœmina justam causam habeat oblatas nuptias recusandi, quia ipsa v.g. est conditionis notabiliter melioris, alter dotare in conscientia tenetur, è contra si mas sit conditionis notabiliter melioris & fœmina vilis, etsi dotare non posset, eam tamen ducere non tenetur; In foro externo quo ad punctum juris electio est penes fœminam. *Arg. cap. cit. de adult.* porro quantitas præstandæ dotis in conscientiâ regulatur juxta damnum illatum, in judicio attenduntur facultates Parentum, qualitas fœminæ & ~~et~~ mariti, quem probabiliter habere potuisset. *cap. i. de adult. L. cum post 69. ff. de jur. dot.*

15. Alia oritur obligatio in foro in- & externo erga prolem subsecutam, cui alimenta naturalia per triennium præbere debet mater. *cap. fin. de convers. infid.* artificialia pater subministrare debet tamdiu, donec proles sibi alimenta parare possit. *L. sequis §. sed si filius ff. de agnos. & alend. lib.* nisi denegandi causam habeat. *cit. leg. §. idem Judex.* ad quod sufficiunt causæ, quæ ad exhæredationem; mater ad hæc alimenta præstanda non obligatur, nisi si pater incertus sit, aut is aut ejus ascendentes non sint vel inopes sint.

16. Alterum Sponsalia subsequens est publica honestas, De quâ infra.

## T H E S I S V.

### De causis dissolvendi Sponsalia.

17. **C**ausæ dissolvendi sponsalia vel se tenent ex parte utriusque vel ex parte unius ex sponsis. Ex parte utriusque licite solvuntur, 1. mutuo consensu, licet jurata fuerint *cap. præterea 2. de spons. L. nihil 35. ff. de reg. jur.* 2. Per professionem religiosam, ab alterutro emissam *cap. 2. 7. & 14. de convers. conjug.* Excipe si copula intercesserit, & damnum non nisi per matrimonium reparari queat. 3. Per votum subsequens ingrediendi religionem, non aliud simplex aut novitium. 4. Dissolvuntur utrimque si Sponsus suscipiat Ss. ordines. 5. per superveniens impedimentum dirimens. 6. Denique per supervenientem notabilem circumstantiarum mutationem, quâ vel matrimonium futurum reddatur illicitum, vel partes ineptæ ad onera matrimonialia sustinenda statui conformiter *arg. cap. quemadmodum 25. de jurej. & principii communis: Actus nihil operantur ultra intentionem agentium.*
18. Resilire à sponsalibus potest etiam una pars quando altera facit aliquid, quo contractui renunciare censetur, aut talis in illâ superveniat mutatio quæ si tempore contractûs adfuisset, non contraxisset, sive mutatio contingat in bonis animi, sive corporis, sive fortunæ, *arg. cap. quemadmodum. cit. C. de illis 5. de spons.* extende; & si causa aderat ante sponsalia, aut ignorabatur, cum res tunc fieri censetur, quando innotescit, *arg. cap. pastoralis 4. de Except.* Pars tali causâ laborans & tæcens illicitè sponsalia contrahit, & compartem ad implendum contractum cogere non potest.
19. Quæ-

19. Quæres : An ex causis dictis partes propriâ autoritate sponsalia dissolvere possint , vel necesse sit intervenire auctoritatem iudicis , qui & determinet , an mutatio sit talis , ut compar non contraxisset , si scivisset ? Resp. ad primum : vel sponsalia & causæ sunt publica & certa vel utrumque occultum & certum , & solvere possunt propriâ auctoritate ; vel Sponsalia sunt publica & causa certa sed occulta , aut publica , sed dubia , & iudicis auctoritatem intervenire necesse est. Resp. ad 2dum : determinare sufficientiam mutationis prudentis iudicis arbitrio relinquitur.
20. Specialis dissolvendi modus est in Sponsalibus impuberum ; horum enim quilibet à Sponsalibus superveniente pubertate resilire potest non expectatâ alterius pubertate. Si pubes contraxit cum impubere , obligatur absolutè , impubes resilire potest adeptâ pubertate. *Cap. de illis 7. de despons. impub.* Verùm adeptâ pubertate in continenti & illicò resilire debent , aliàs Sponsalia ratificata censentur : illicò fit quod fit intra triduum , *L. fin. C. de error. advocat. & L. fin. C. de jud.*

## T H E S I S VI.

### De Matrimonio ejusque indissolubilitate.

21. **M**atrimonium dictum est à matre , eò quòd eidem infans ante partum onerosus , dolorosus in partu , & post partum laboriosus existat , *Cap. ex literis 2. de convers. infid.* describitur *L. 1. ff. de Rit. Nupt.* & *Cap. illud 11. de præsumpt.* quòd sit conjunctio maris & fœminæ individuum vitæ consuetudinem continens ; per conjunctionem intellige

rellige traditionem consensualem & reciprocam juris ad usum corporum, consensus debet esse verus, deliberatus, reciprocus, non tamen necessariò physicè simultaneus, cum & per literas & per procuratorem matrimonium contrahi possit, denique signo externo patefactus, cum hæc æquè ad matrimonii quàm Sponsalium contractum requirantur.

22. De reciprocatione hoc speciale est: quod si unâ parte consensum exprimente altera hunc duntaxat acceptet, verum matrimonium contrahatur, non item Sponsalia.

23. De Signis quoque notandum: quòd copula carnalis habita inter Sponsam & Sponsum ante Tridentinum fuerit signum consensûs matrimonialis. *Cap. is qui fidem 30. de Spons.* hodie non item in locis ubi Tridentinum viget.

24. Dixi suprâ *traditio juris &c.* cum traditio, quæ essentialis est matrimonio, non feratur ad actualem usum corporum, sed tantum ad potestatem utendi, licet hæc potestas restringatur ad non ponendum actum, tamen stare potest verum Matrimonium, quale fuit inter Beatissimam Virg. Mariam & S. Josephum.

25. Dixi item: *conjunctio maris & feminae*, Polygamia enim damnatur à Tridentino *Seff. 24. can. 2.* Ad contrahendum habiles sunt, qui nullo ligantur impedimento.

26. *Ætas ad Matrimonium non jure divino sed humano requisita est*, pubertas, quæ in masculo completum requirit annum 14. in foeminâ 12. *Cap. attestations 10. de despons. impub. & cap. 14. eod.* & quidem in hac materiâ mathematicè *Arg. cap. 2. eod.* infra quam ætatem, nisi malitia eam suppleverit. *Cap. 9. eod.* (quod non probatum non supponitur.) matrimonium

con-

contractum nullum est in ratione matrimonii, valet tamen in ratione Sponsalium *cap. unic. de Despons. impub. in 6.* nisi per contrahentes expressè Sponsalia exclusa fuissent; de reliquis impedimentis infra.

27. Demum individua vitæ societas indicat matrimonii indissolubilitatem, quam definit *Trid. sess. 24.* dissolvitur tamen primò generaliter per mortem. 2. Matrimonium infidelium, si una pars ad fidem conversâ (parte infideli cohabitare nolente aut non sinè contumeliâ creatoris) ad alias nuptias transeat. *c. quanto 7. de divort. cap. gaudemus 8. eod.* 3. Matrimonium fidelium ratum tantum per professionem religiosam. *cap. ex publico 7. de convers. conjug.* & per Dispensationem Apostolicam. 4. Matrimonium consummatum dissolvitur quo ad thorum primò per adulteriùm unius partis *cap. significasti 4. de divort.* dummodo sit certum & formale, nec condonatum à parte innocente. 2dò per vitium, ob quod vel dura nimis est cohabitatio *cap. literas 13. de restit. spoliat.* vel animæ periculum timetur *Arg. cap. de illa 6. de divort.* 3. Quando mutuo consensu conjuges perpetuam castitatem vovent, sive maneat in sæculo sive ingrediantur religionem.
28. Divortium ob adulterium & hæresin factum iudicio Ecclesiæ *cap. cit. de illa. de divort.* perpetuum est, & innocens ad religionem liberè transire potest, non nocens, quia revocari potest ab innocente; Alia divortia non nisi ad tempus subsistentis causæ perdurant.
29. Quæres: An divortium quo ad habitationem fieri possit autoritate propriâ? Resp. Secluso omni scandalo affirm. verum cum rarò scandala absint, regulariter fieri debet iudicio

Ecclesiæ, nisi sit periculum in morâ pro interpellando Iudice, cum pars taliter divertens comparti non solum non restituatur, sed ab eâ potius amoveri debeat, nisi sufficiens securitas data sit, *Text. in cap. literas. de restit. spoliat.*

30. Dictis modis facto divortio quo ad sustentationem liberorum observanda est *Authentica Si pater C. divort. fact.*

## T H E S I S VII.

### De obligationibus Matrimonii.

31. **P**Rima est reddere debitum, *Uxori vir debitum reddat* inquit Apost. 1. Corinth. 7. *similiter autem uxor viro*, Hæc obligatio gravis est, & materia virtutis justitiæ, debitum petere per se loquendo neuter conjugum tenetur.

32. Redditur & exigitur jure debitum, si non adsit impedimentum faciens redditionem aut petitionem illicitam, exigere non licet imò ei, qui emisit votum castitatis, nam hoc servare debet quantum potest, tamen sine præjudicio alterius conjugis; aliud est in voto non nubendi, quia licet talis matrimonium illicite contrahat, tamen non est ratio, cur matrimonio uti non possit, An verò is qui vovit castitatem post Sponsalia vel matrimonium nondum consummatum, qui casus videntur pares, teneatur ingredi Religionem, ut integrè votum servet, Doctorum unus affirmat, alter negat; Ego cum utraque sententia probabilitate non careat, utramque oppugnandam propono. 2dò. habens copulam cum consanguineo aut affine compartis in 1. vel 2. gradu illicite debitum petit. *Cap. Si quis 1. de eo qui cog.* 3. Si dubium sit subesse impedimentum dirimens, dubius reddere potest



potest parti, quæ est in bona fide (secus si ambo dubitent) at non petere. *Cap. Dominus 2. de 2dis nupt.* 4. Aliqui ponunt impedimentum cognationis spiritualis, verum cum nullo Jure positivo prohibitum sit, ne taliter nocens exigat, nec nos prohibeamus, inquit *Glof. in C. Si vir. de cognat. spirit. v. Debitum.*

33. Reliquæ obligationes conjugum sunt: servare fidem thori, exhibere sibi invicem amorem & honorem, præstare alimenta & gubernationem, ac susceptam prolem christianè educare & alere.
34. Limites honestatis in usu matrimonii recta ratio præscribit, contra quam sæpe peccare possunt conjuges.

## T H E S I S VIII.

### De Matrimoniis conditionatis.

35. **M**atrimonium contractum cum conditione honestâ & possibili sive de præsentis, sive præterito aut futuro contingente valet, si conditio existat, vel purificetur; si necessaria sit conditio de futuro, statim valet; si conditio sit impossibilis aut turpis qualiscunque, pro non adjectâ habetur ob favorem matrimonii. *Cap. fin. de condit. apposit.* nisi sit contra substantiam matrimonii, *Cap. fin. cit.* aut consensus alligatus sit, ut ita & non aliter.

## T H E S I S IX.

### Quotuplex Matrimonium?

36. **M**atrimonium triplex est: legitimum, ratum, consummatum. Legitimum est: quod contrahitur inter infideles.

Ra-

Ratum non contrahitur inter fidelem & infidelem, sed fideles, & hoc est verum novæ Legis Sacramentum à Christo Domino institutum, uti post Concil. Florent. definivit Trid. *Sess. 7. & 24. can. 1.* Contractum inter infideles per horum conversionem minimè fit Sacramentum, inter fideles contractum inseparabiliter est Sacramentum, adeo, ut nec contrahentes per intentionem contrariam rationem Sacramenti à ratione contractûs separare possint; significat unionem Christi cum animâ justî. *Cap. debitum 5. de bigam. non ord.*

37. Hujus Sacramenti materia est traditio juris in corpora, acceptatio est forma, ministri sunt ipsi contrahentes, & ut tales alter in altero causat gratiam, vel immediatè per se ipsum vel mediatè per Procuratorem, Effectus: gratia sanctificans cum jure ad auxilia specialia, quibus adjuti conjuges se castè diligant, prolem susceptam christianè educant, continentiam conjugalem servant, & onera matrimonii patienter in Christo ferant.
38. Matrimonium consummatum rato superaddit actualem corporum usum, & significat unionem Christi cum Ecclesiâ, mediante incarnationis mysterio. *Cap. debitum 5. cit.*

## T H E S I S X.

### De Impedimentis Matrimonii.

39. **I**mpedimenta Matrimonii vel illud impediunt reddendo illicitum, vel dirimunt reddendo invalidum, priorum sunt quatuor: I. *Tempus feriatum*, quo Ecclesia solemnitates nuptiarum, non contractum matrimonialem inhibuit, *Trid. Sess. 24. Can. 1. de reform. marr.* consuetudo tamen apud nos obtinet, ne Parochus nuptiis assistat sine dispensatione Ordinarii.

40. Secundum est *Interdictum*, seu prohibitio superioris Ecclesiastici etiam Parochi. *cap. fin. §. sanè. de clandest. despons.* ne matrimonium contrahatur; si partes viâ facti transgressæ fuerint, competenti pœnæ Ordinarii subjacent. *Cap. 1. & 2. de mat. contract. cont. inhib. Eccl.* Matrimonium validum tamen est, nisi Papa inhibuerit adjecto decreto irritante, vel obstaret impedimentum dirimens. Huc refero Decretum *Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 1.* de denuntiatione trinâ ante matrimonium à Parocho faciendâ, de quâ plurima observanda pro hac Dicecesi statuuntur in *Rituali Tit. de spons. & Tit. de proclam.*
41. Tertium est *Votum simplex* castitatis ante, aut si sit votum ingrediendi religionem, etiam post Sponsalia emissum. *cap. unic. de vot. in 6.* votum item cælibatus, & suscipiendi Ss. Ordines.
42. Quartum *Sponsalia*, nam contractis Sponsalibus aliam ducere non licet, *cap. 1 de Spons. duor.* estque peccatum injustitiæ, quia primæ jus læditur.
43. Dirimentium sunt hodie 14. contenta verbis plerumque notis. Primum est *Error* & meritò, cùm & jure naturæ dirimat non qualiscunque sed circa substantiam personæ contingens, cùm consensum tollat, qui jure naturæ requiritur.
44. Secundum est *Conditio servilis* in comparte à libero ignorata, *cap. proposuit 2. de conjug. servor.*
45. Tertium est *Votum castitatis solemnizatum*, vel per susceptionem S. Ordinis, vel per professionem religiosam *cap. unic. de voto in 6.* primum definivit *Trid. sess. 24. de reform. mat. can. 9.* secundum *ibid. can. 6.* Vis irritativa primi respicit matrimonium duntaxat ex post contrahendum ob votum castitatis, quod Ecclesia Ss. Ordinibus adjunxit; unde si contingat ab aliquo
- C
- suscipi

fufcipi Ss. Ordines absque voto, prout fieri potest in ordinato ex metu gravi vel ante annos discretionis, ad matrimonium habilis est, nisi per exercitium vel aliàs cum cognitione nullitatis voti (secus ratificatio nulla est) votum tacitè vel expresse ratificaverit, non tamen dirimit validè semel contractum. Secundum dirimit matrimonium etiam contractum, non consummatum. *Trid. cit.*

46. Quartum est *cognatio triplex*: spiritualis, quæ duplex est: *Paternitas* inter baptizantem uti & levantem, ac baptizatum, & *Compaternitas* inter Parentes baptizati & baptizantem & levantem, & hos inter; pariformiter est in confirmatione. *Trid. sess. 24. de reform. mat. cap. 2.* dummodo hæc Sacramenta sint vera & valida, & patrini baptizati ac respectivè confirmati, licet hæretici, animo hoc munus obeundi in actu baptismi baptizatum vel per se vel per procuratorem physicè teneant aut tangant vel immediatè de S. Fonte fuscipiant.
47. *Cognatio legalis* orta ex adoptione legitimâ dirimit matrimonium etiam adoptione cessante inter adoptantem & adoptatam; & hujus liberos existentes durante adoptione. § I. *inst. de adopt.* eodem modo inter adoptatum & hujus uxorem respectivè cum adoptante & uxore ejus. *Leg. adoptivus 14. ff. de rit. nupt.* At verò inter adoptatum & adoptantis proles legitimas non nisi durante adoptione. *cit. §. & cap. unic. de cognat. leg.*
48. *Cognatio naturalis* ex sanguinis conjunctione descendens dirimit matrimonium Jure Ecclesiastico usque ad quartum gradum inclusivè. *cap. non debet 8. de consang. & affin.*
49. Quintum est *crimen duplex*: primum *Adulterium* verum & formale ab utraque parte. *cap. 1. de eo qui duxit.* conjunctum vel

vel matrimonio vivente legitimâ conjuge cum adulterâ attentato, & si matrimonii attentatio præcesserit adulterium, non revocato, vel conjunctum seriæ promissioni, licet non mutux futuri matrimonii post mortem conjugis. *Cap. ex literarum 4. & cap. significasti 6. eod.* vel denique cum machinatione unius ex adulteris in mortem conjugis innocentis, animo incundi matrimonium cum complice. *cap. significasti cit. can. si quis vivente 5. 31. q. 1.* qui cum adulterio & machinatione unius in dubio adesse præsumitur. Alterum Crimen est *Conjugicidium* secutum ex facto utriusque matrimonium contrahere volentis. *cap. 1. de convers. infid.* ex cujus textu sequitur impedimentum criminis oriri, licet unus complex sit infidelis.

50. Sextum est *cultûs disparitas*, ob quam matrimonium fidelis cum infideli constanti Ecclesiæ praxi nullum est. Validum sed illicitum est matrimonium Catholici cum hæreticâ. *can. cave 15. can. oportet 16. 28. quest. 1.*

51. Septimum *Vis* non tantum præcisa, de qua *Jetus in L. 2. ff. de eo quod met.* quæ tollit voluntarium, sed etiam conditionata quæ & *Metus* dicitur, de quâ *L. 1. ff. eod.* Hic licet non omnes contractus imò nec Sponsalia, ut probabilius judico, debite tamen qualificatus matrimonium dirimit. *cap. cum loc. 14. de spons.*

52. Octavum *Ordo* supra n. 45. propositum est.

53. Nonum *Ligamen*. Nullus ad 2das nuptias migrare præsumat, donec ei certo certitudine saltem morali constet, quod ab hac vitâ migraverit conjux ejus. *cap. Dominus 2. de secund. Nupt.*

54. Decimum *Honestas*, quæ oritur, tum ex Sponsalibus validis & primum gradum non excedit. *Trid. sess. 24. cap. 3.* tum ex matrimonio rato licet invalido, præterquam defectu consensûs

- & usque ad quartum gradum inclusivè dirimit juxta Bullam Pii V. ad Romanum. Honestas orta ex matrimonio non dirimit antecedentia Sponsalia, sed consequentia. *C. unic. de Sponsal. in 6.*
55. Undecimum *Affinitas*, accepta juxta *cap. non debet de consang.* jure naturæ in I. gradu lineæ rectæ, jure Ecclesiastico orta ex copulâ licitâ usque ad 4tum. *cap. cit. non debet*, ex copulâ illicitâ usque ad secundum gradum dirimit. *Trid. sess. 24. de reform. mat.*
56. Duodecimum, *Impotentia* matrimonium antecedens & perpetua illud jure naturæ dirimit, sive hujus scientes sive ignaræ fuerint partes. *Tit. de frigid. tot.*
57. Decimum tertium jure novo Tridentini *Clandestinitas*, id est, si non assistat Parochus cum duobus testibus. *Sess. 24. de reform. mat. cap. 1.* Parochus nempe alterutrius proprius, id est, domicilii vel quasi, & respectu vagorum istius loci, in quo actu versantur. Non obest valori an in- vel extra Parochiam assistat, an sit Sacerdos, vel non; nec obstat, si sit prohibita assistentia aut sit irregularis, suspensus, interdictus, vel excommunicatus, imò sufficit Parochus putativus concurrente errore communi, & titulo colorato. *Arg. L. Barbarius 3. ff. de off. prat. c. infamis 3. quest. 7.*
58. Sicut Parochus, ita multò magis Ordinarius, quilibet Sacerdos etiam cum debitâ licentiâ. *Trid. loc. cit.* expressâ vel tacitâ sibi notâ imò revocatæ licentiæ ignarus. *Arg. L. forte 17. ff. de off. Presid.* validè matrimonio assistunt,
59. Testes esse possunt omnes ratione utentes ( dummodo assistentia horum & Parochi sit simultanea, & matrimonium completè initum intelligatur ) licèt aliàs inviti. Coram Titio namque jussus aliquid facere non videtur præsentè eo fecisse, nisi is intelligat;

ligat; scire autem non etiam velle is debet; nam & invito eorū ritè fit, quod iustum est. *Text. L. coram Titio 209. ff. de verb. signif.*

60. Ab hoc impedimento uti & aliis non eximuntur Hæretici, cum forma Tridentini ubi potest, ibi observari debeat. In locis ubi Tridentinum publicatum non fuit, valent matrimonia omisâ hac solemnitate.

61. Quæres: Si incola loci, ubi Tridentinum publicatum non est, perveniat ad locum ubi publicatum, & vice versâ, quid dicendum de eorum matrimoniis? Resp. 1. Si incola loci, ubi Tridentinum publicatum, contrahat cum incolâ loci & in loco, ubi publicatum non est, forma hæc Tridentini non est necessaria ad valorem. 2. Si masculus & fœmina incolæ loci, ubi publicatum est, transeant ad locum, ubi publicatum non est, animo ibidem figendi domicilium, licet simul ex fine liberius contrahendi, matrimonium valet formâ Tridentini omisâ. 3. Si incolæ dicti etiam transeunter perveniant ad locum, ubi publicatum non est, adhuc valet matrimonium omisâ solemnitate Tridentini: *Arg. cap. fin. de const. in 6.* nisi fiat in fraudem Legis; tunc enim matrimonium inicum nullum esse declaravit S. Congregat. & approbavit Urbanus VIII, idque in Brevi Apostolico *ad Archi-Episcopum Colon. Ferdinandum 19. Augusti, anno 1627.* Si vice versâ incolæ loci, ubi publicatum non est Tridentinum, perveniant ad locum, ubi publicatum est, forma Tridentini servanda est. *Arg. L. si fundus 6. ff. de evict.*

62. Quæres ulterius: An matrimonium hac formâ omisâ non habeat vim Sponsalium? Resp. Si Sacra Congreg. (ut quidam dicunt) aliud non statuerit, dicerem, sicuti matrimonia ob defectum ætatis nulla valent in vim Sponsalium, *vid. sup. n. 26.* ita quoque hæc ob rationis identitatem valere.

63. Ultimum impedimentum dirimens est *Raptus*. *Trid. sess. 24. de reform. matr. cap. 6.* Raptus est violenta abductio fœminæ de loco in locum causâ libidinis exercendæ vel matrimonii contrahendi; est impedimentum, quamdiu rapta est in potestate raptoris; Esse sufficientem ad hunc effectum, licet fœmina sit volens, Parentes tamen vel Tutores inviti, declaravit *S. Congreg. ut refert Card. de Luca de matr. discurs. 5. §. annot. ad con. dis. 28.* dummodo de formali matrimonio præviè tractatum non fuerit. *cap. cum causa 6. de rapt.*

64. Quæres ultimò: An, si contracto matrimonio conjuges detegant impedimentum dirimens, à se invicem autoritative discedere possint? *Resp.* Licet à thoro teneantur, non tamen à communi habitatione divertere licet & se separare, nisi prævio iudicio Ecclesiæ; si pars hæc attentet, alteri restitutionem petenti, nisi probationes impedimenti afferantur in continenti paratæ, restituenda est; sinolit, ad restitutionem Ecclesiasticâ debet censurâ compelli, quam tamen pars impedimenti conficia thori consortium denegando humiliter tolerare debet. *cap. literas. de rest. spoliat.*

## T H E S I S      ultima. De Vi Matrimonii legitimandi illegitimè Natos.

65. **C**Elebris Matrimonii effectus est legitimitas prolium, & illegitimarum legitimatio. Liberi omnes sunt legitimi, qui vel in matrimonio vero vel putativo concepti aut geniti sunt. Matrimonium putativum est, quod contrahitur publicè



blicè, non contradicente Ecclesiâ, inter partes impeditas cum bonâ fide saltem unius ex contrahentibus impedimentum ignorantis. *Cap. 2. & 14. qui filii sint legit.* Dixi concepti aut geniti: cum horum unum sufficiat. *Arg. cap. cit. & L. nuper 11. C. de nat. liber.* dummodo proles debito tempore in lucem prodeat, quod fit etiam initio mensis septimi. *L. 12. ff. de stat. hom. & L. 3. §. fin. ff. de suis & legit.* & post mortem Mariti in mense decimo. *L. 3. cit. & L. Gallus ff. de lib. & posth.* Quoniam verò hæ Leges nituntur iudicio Medicorum, hinc aliorum Medicorum experimentis aliisque concurrentibus circumstantiis elidi posse insinuat *Clariss. D. Hamm in Compend. Inst. Tit. 3. n. 138. & 140.* Stante Matrimonio nati reputantur legitimi, etiam si constet uxorem sæpe adulterium commisisse, quia in favorem liberorum Jus præsumit ex Marito progenitos. *L. 11. §. defuncto. ff. ad leg. Jul. de adult.* Ex eadem præsumptione liberi expositi sunt legitimi; nisi in utroque casu contrarium clarè constet. *Arg. L. filium 6. de his qui sui vel alieni.*

66. Liberi illegitimi naturales legitimantur per Matrimonium subsequens parentum sive sequatur im- sive mediatè. *cap. tanta 6. qui filii legit.*
67. Liberi illegitimi spurii legitimantur per sequens Matrimonium, si Papa super impedimento dispenset cum clausula, quâ prolem secuto Matrimonio legitimam esse vult, quæ ordinariè Dispensationi inseritur,
68. Sequitur hinc non legitimari, si inhabilitas parentum fuerit inaufertibilis per humanam potestatem, vel etiam non sublatâ pro tempore præterito per Dispensationem inhabilitate; licet Matrimonium præcesserit in figura. Legitimati per Matrimonium

nium æquiparantur in omnibus legitimè natis. *Glof. in cap. tanta 6. v. legitimi, qui filii legit.*

69. Causæ matrimoniales spectant ad Judices Ecclesiasticos. *Trid. sess. 24. can. 12. de reform. matr. cap. 2. de jud.* Si agatur de matrimonii valore, pater contra filium & vice versâ testes esse possunt, *Cap. 3. qui mat. accus.* imò accusator etiam testis esse potest. Denique licet aliæ actiones triginta vel quadraginta annorum lapsu extinguantur, secus est in matrimonio, si de ejus valore quæstio fiat, nec locum habet transactio, *Cap. fin. de transact.* nec sententia circa valorem vel invaliditatem lata transit in rem judicatam.

*Laus, honor, & gloria*


VNI DEO,

qVI est prInCIpIVM

&

fInIs.





Kr 3497

(X225 8755)

W 17

*[Handwritten signature]*





THESES  
CANONICO - THEOLOGICÆ,  
De  
SPONSALIBUS  
&  
MATRIMONIO  
SACRAMENTO  
MAGNO,

Quas  
AVSPICE DEO  
&  
PATROCINIO  
VIRGINIS MATRIS  
T V E B I T V R

In Collegio S. NORBERTI Coloniae  
EVERHARDUS MICHAEL PELSER

Coloniensis, 1730 <sup>19</sup> *die 19* *et sub sacro gradu*  
*in locum publico a D. Jan. Coling*  
Die *15* Martii mane & a prandio. *vernario.*

Typis Francisci Caspari Aldenkirchen in platea Saxonica 1728.